



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

49 Iurisuo quilibet potest renunciare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

lum non habet illarum administrationem, etiam si statutis caveretur, quod quolibet decennio præbendæ æquari, & simul confundi, ac de novo dividi, ac assignari deberent, si ab inmemorabili tempore non fuerit facta confusio, & nova divisio, à quo tempore præbendæ statum separatum, & distinctum susceperunt, & statuta usum amiserunt, ut in capitulo cathedralis Vercellen. in quo licet habeatur statuta de præbendis adæquandis, tamen præbendæ habent propria prædia, propriosque fines distinctos, aliæque opulentos, & aliæ exiguos redditus habent, nec inmemorabili tempore citra fuerunt adæquata, nec hodie sine omnium canonicorum consensu⁴⁹ possit adæquari, teneo hoc casu, titularum ad pensionem non teneri, quia cum pensio sit onus reale, & ipsa bona productiva redditus censentur principaliter obligata, & hypothecata pro pensione, ut per Felyn. *cod. cap. ad audientiam. nu. 6. cum alijs supra allegatis*, & taliter provitus nullos fructus præcipiat ex præbenda, & membris hypothecatis ad pensionis, solutionem non tenetur. *Parisi. cons. § 2. num. 5. volu. 1.* Qui enim non percipit fructus, ad solutionem pensionis impositæ non tenetur, ut per Gig. *eo tract. de pens. qu. ult. n. 16.* & Monet. *de distrib. quot. par. 3. quest. 8. numer. 27.* ultra quod consensu eorum, qui optarunt, fuit liberatus, quia si nolent⁵⁰ onus, poterant non optare, & damnium, quod eorum culpa sentiunt, sibi & non alijs debent imputare, *cap. damnium. de reg. jur. in 6. cum vulg.*

⁴⁸ Si verò titularis † pro canonicatu, & præbenda obtinenda, reservationi pensionis super eodem canonicatu, & præbenda consensus, & de illa perfolvenda se

obligavit, tunc capitulum optioni alterius præbendæ consentire non tenetur, quia, cum dictus canonicus consenserit oneri pensionis, non potest præbendam suo facto tali pensione oneratam dimittere & liberam optare, cum alteri per alterum iniqua conditio inferri non possit, nec æquitas concedat, aliquem cum alterius factura locupletari. *l. nam hoc. natura. ff. de cond. indeb. & Menoch. cons. 27. numer. 36. tom. 1.* sed nisi eadem pensione per obitum, aut alias legitime extincta, eandem præbendam semper retinere tenetur, nisi capitulum ex gratia speciali, aut alias optionem admittere, quia cum tunc de solo interesse capituli agatur, † quilibet juri suo potest renunciare, *Jas. in l. cum proponas. numer. 2. C. de pract. & dummodo novo impetranti in præbenda debita præiudicium non inferatur, per optionem admissam, præbenda optata erit ab onere pensionis immunis, † cum pensio semper sequatur beneficium ex supra deductis, & propterea transferri non possit de beneficio ad beneficium, nec de persona ad personam sine Papæ auctoritate, ut per. Gig. de pens. qu. 12. nu. 2.*

Nihilominus erit in optione pensionarij, qui habebit actionem realem, & personalem contra quem agere velit ad pensionis decursæ, vel decurrendæ solutionem. † poterit enim agere contra præbendæ possessorem, aut ejus hæredem pro decursis, quando interfuit obligatio in forma cameræ Apostolicæ, quia hæres fuit etiam obligatus, sive contra anteriorem possessorem obligatum, qui dimissa præbenda, aut membro, cujus causa se obligavit, adhuc vivit, arg. eorum, quæ trad. Bel-len. *in tract. de subsid. charitat. quest. 45. vers.*